Abulen: prætensæ Manutentionis.

51

1. *Eme Dne.* ANno 1596. Ortis grauibus discordijs inter quatuor Notarios Curiæ Episcopalis Abulensis, ex quo vnusquisque ex ipsis propriam quærendo vtilitatem omnia negotia per Curiam expedienda ad suum officium trahere satagebat in aliorum Connotariorum eclusionem, hinc ad extinguendas huiusmodi controuersias memorati Notarij deuenerunt ad Concordiam, & Capitulationes vbi Conventum fuit quod prædicta Negotia deberent ab ipsis expediri per Turnum iuxta repartitionem seu distributionem faciendam per Personam ad hunc effectum specialitèr deputandam iuxtà documentum exaduerso exibendum, quæ Concordia fuit ab Episcopo tunc temporis specificè confirmata *Summario nu. 1. litt. A. & seq.* & deindè etiam confirmata per Sedem Apostolicam in forma tamèn communet cum clausula = *omniaque & singula in illis contenta licita tamèn, & honesta, & Sacris Canonibus, & Concilij Tridentini decretis non contraria = Summ. n. 2. litt. D.*

2. Cum autem isti sint, & sempèr fuerint Notarij Curiæ, seù Audientiæ Episcopalis, per quorum acta expediuntur dumtaxàt negotia iudicialia, & Causæ contentiosæ agitari solita coram Prouisore, seù Vicario Generali, idcircò Episcopi tàm antè, quam post supradictam Concordiam intèr illos initam pro negotijs extraiudicialibus, quæ per se ipsos expedire solent respicientibus Iurisdictionem non contentiosam, sed voluntariam, semper vsi fuerunt proprio, & particulari Cancellario qui vocatur *Secretarius Cameræ*, & signantèr occasione vocationis Ecclesiarum Parochialium acta concursus, seù examinis, necnon præelectionis, & Collationis facta fuerunt sub Testimonio supradicti Secretarij Cameræ absque eo, quod Notarij supradicti vnquam fuerit adhibiti, vt constat ex longa serie huiusmodi actuum extraiudicialium, qui dantur ab anno 1661. vsque in præsens *Summ. n. 3.*

3. Vacatis nouissimè Parochiali Ecclesia loci de Vernal, & Beneficio Curato de Onullo cum hodiernus Reuerendissimus Dominus Episcopus Principalis noster iuxtà solitum collationem vtriusque Beneficij expleuerit per acta Secretarij Cameræ fauore D. Laurentij de Ortiga, & D. Eugenij Plaza vnacum mandatis de Immittendo, inturrexerunt prædicti Notarij sub prætextu, quod aliquis pro tempore Episcopus aliquando vsus fuerit opera illorum, prætendendo, quod huiusmodi actus extraiudiciales non per Secretarium Cameræ sed per ipsos expediri, & subscribi deberent, & ausi fuerunt vocato in Iudicium Reuerendissimo Episcopo petere manutentionem in figurata quasi possessione subscribendi, & expediendi tales actus priuatiuè ad Secretarium Cameræ.

 4. Hinc,

4. Hinc agitata Causa in prima Instantia coram Iudice Delegato Curiæ Episcopalis, iste denegauit Notarijs petitam manutentionem ex defectu allegatæ possessionis circa eosdem actus, quos faciunt Episcopi per se ipsos *Summario num.*4. in gradu autèm appellationis coram Nuntiatura Apostolica, placuit eius Auditori facere duo definitiua decreta, in quorum primo sub die 4. Nouembris 1722. concessit Notarijs manutentionem, & quatenus opus sit reintegrationem ad possessionem, in qua reperirentur tempore motæ litis; & in secundo sub eadem die lato reuocauit iudicatum primæ Instantiæ *Summ. n* 5. *&* 6.

5. Ex parte Reuerendissimi Episcopi interposita appellatione, cum memoratus Auditor quasi iudicasset duas Causas independentes admiserit appellationem ad vtrumque effectum, quoad decretum reuocatorium iudicati primæ Instantiæ, & in deuolutiuo tantùm quoad manutentionem Notarijs concessam *Summario num.*6. proptereà obtentum fuit Breue appellationis directum Iudicibus de partibus *Summ. n.*8.

6. Post eius præsentationem in partibus factam Iudici Executori, instantibus Aduersarijs coram Nuntio, vt iste mandaret eidem Executori, vt procederet non retardata executione mandati de manutenendo; Nuntius mandauit, vt Collitigantes recurrerent ad hoc Supremum Tribunal *Summario num.* 9. cum igitur Aduersarij in præsenti Congregatione petant reformationem Breuis, ac si cum clausula = *sine præiudicio mandati di manutenendo*, hinc attenta insubsistentia, & totali exorbitantia contrariæ instantiæ, rescribendũ omnino speratur = *Nihil, & seruetur Breue*.

7. Nescitur enim quo principio Aduersarij sibi figurare possint Decretum de manutenendo eorum fauore relaxatum in secunda Instantia, esse Sacrosanctum, & inappellabile, quando est appellabile de plano, & de sui natura; Cum enim Aduersarij in prima Instantia coràm Delegato Curiæ Episcopalis passi fuerint contrarium Iudicatum, in quo pronunciatum fuit = *non esse locum prætensæ manutentioni* = *Summario num.* 4. *litt. E.*, si posteà obtinuerunt istam manutentionem in gradu appellationis coràm Auditore Nuntiaturæ nunquàm prætendere valent quod hoc secundum Iudicatum sit inappellabile propter naturam Iudicij possessorij, dùm quando hoc in prima Instantia fuit vulneratum per contrariam sententiam, tali casu sententia reuocatoria siuè decretum non habet ampliùs priuilegium inappellabilitatis, cum sit reuocatorium contrarij Iudicati præcedentis ex duobus solidissimis principijs; altero quod quandò vnum Iudicatum est reuocatorium alterius, semper de sui natura est appellabile, vt loquendo de Iudicio priuilegiato vbi non admittitur appellatio, communiter firmant *Zacch. de Selar. quæst.* 107. *num.*15. *Pacion. de locat. cap.*39. *num.*46. *Rot, coràm Ninott. decis.*14. *num.*1. *& coram Roxas. decis.*68. *num.*14., *Adden. ad Gregor.*

gor. decis. 581. *num.* 8., quia causa semèl effecta appellabilis ob primum Iudicatum, quod vulnerauit Iudicium priuilegiatum remanet semper appellabilis, donèc per tres conformes decidatur, *Gonzal. ad regul.* 8. *Cancel. Glos.* 6. *num.* 202. *& seqq.*, *Marchesan. de Commiss. part.* 1. *tit. de Commiss. appellat. ab. obligat. Camer.* §. 1. *num.* 76. *Rot. coram Coccin. decis.* 78. *num.* 2. *& coram Cels. dec.* 126. *num.* 4. *& cor. Buratt. dec.* 22. *n.* 32. *vers. tamen*.

8. Et altero quod quemadmodum permissa fuit appellatio ad vtrumque effectum Aduersarijs Actoribus contra Iudicatum primæ Instantiæ, quod ipsis denegauit manutentionem, ita ad seruandam æqualitatem intèr Partes, prout in Iudicijs seruari debet, permittenda est appellatio Reuerendissimo Episcopo aduersus Iudicatum secundæ Instantiæ, quod primum eius fauore latum reuocauit, vt benè aduertunt *Scacc. de appellat. quæst.* 17. *limit.* 9. *sub num.* 58. *vers. sub extende*, *Ruginell. de appell.* §. 2. *cap.* 3. *num.* 157. *Zacch. de Salar. quæst.* 107. *num.* 16. *&* 17., *Pacion. d. cap.* 39. *num.* 47. *Rot. coram Roxas. decis.* 68. *num.* 14. *&* 15., *& in recent. decis.* 203. *num.* 3. *part.* 16. ibi = *Ista tamquam reuocans præcedentem latam ab Ordinario erat appellabilis* = *Card. de Luc. de Cred. disc.* 117. *n.* 10. vbi hoc firmat prò absoluto, vt etiam in executiuis tali casu intret appellatio etiam vsque ad tres conformes.

9. Nequè hæc adeò clara appellabilitas declinari potest ex illa distinctione duorum decretorum, quam fecit Auditor Nuntiaturæ sub eadem die in primo concedendo manutentionem Aduersarijs, & in secundo reuocando Iudicatum primæ Instantiæ; Nàm talis distinctio, & diuisio duplicitatis decretorum est purè materialis, non autèm formalis cum sint duo decreta per modum vnius tendentia ad vnum, & idem, dùm quando Iudex primæ Instantiæ denegauit manutentionem, si Iudex secundæ Instantiæ illam concedat, dicitur reuocare Iudicatum præcedens absque necessitate faciendi ad partes alterum decretum specialiter reuocatorium Prioris Iudicati, & sic semper est vnum Iudicatum reuocans primum, dum reuocatio primi consistit in concedendo illam manutentionem, quam primum Iudicatum denegauit, ità; & taliter, quod manutentio concedi non possit, nisi præuia reuocatione Prioris Iudicati denegantis eamdem manutentionem, & consequenter vtrumque decretum reducitur ad vnum materialitèr diuisum in duo, & vtrumque semper est appellabile, tamquàm vtrumque reuocatorium præcedentis Iudicati, vt tradunt *Butr. in Cap. super eo num.* 1. *de appellat. Alex. cons.* 89. *sub num.* 9. *vers. tam in fin. lib.* 1. *Paris. consil.* 66. *sub num.* 13. *lib.* 1. *Lancellot. de attentat. par.* 2. *cap.* 12. *limit.* 2. *numer.* 26. *Scacc. de appell. quæst.* 17. *limit.* 47. *memb.* 2. *num.* 1. *&* 3., *Boer. decis.* 73. *num.* 6. *vers. sed vna*, & optimè in terminis firmauit *Rot. dec.* 356. *nu.* 18. *part.* 17. *rec.*, *& coram Bich. decis.* 480. *n.* 4. vbi quod non attenditur diuisio decretorum, seù sententia per ca-

 pita

pita separata, *& coram Otthobon. decis.* 170. *numer.* 9.

10. Nulla igitur cadit imaginabilis ratio dubitandi super appellabilitate decreti Auditoris Nunciaturæ otiosè, & superfluè diuisi in duo decreta, cum semper sit vnum iudicatum reuocatorium alterius, & semper de sui natura appellabile ad vtrumque effectum, vt inquit *decis.* 126. *num.* 4. *coram Cels.*, *& decis.* 263. *num.* 3. *part.* 16. *recent.*, cui accedit ad exuberantiam altera circumstantia, quod decretum manutentionis concessum Aduersarijs fuit subscriptum ab Auditore Nuntiaturæ ratione cuius subscriptionis, vt notum est, euasit irretractabile *Summario num.* 5., & habuit vim, & substantiam Sententiæ diffinitiuæ, quo casu etiamsi ageretur de vnico, & solo decreto manutentionis, quod non esset reuocatorium alterius, remaneret adhùc appellabile proptèr illam rationem, quod ideò non datur appellatio in manutentione, quia agitur de decreto interloqutorio pro interim, & prouisionali, à quo potest idem Iudex reponere, & alteri Parti manutentionem concedere, quæ ratio cessat, vbi proceditur ad manutentionem, siuè per sententiam, siuè per decretum definitiuum, vt est illud per Iudicem subscriptum, à quo ipse ampliùs non potest reponere, nèc vlterius se se ingerere in causa, ideoque in his terminis tale decretum recipit appellationem ad vtrumque effectum, vt firmant *Posth. de manut. obseru.* 106. *num.* 68.. *Rot. post ipsum decis.* 665. *num.* 6. *Constan. ad statut. Vrb. annot.* 52. *artic.* 1. *sect.* 3. *num.* 154. *Card. de Luc. de Iudic. disc.* 37, *sub num.* 56., *& de Benefic. disc.* 80. *num.* 1. *Mart. Andr. decis.* 62. *num.* 3. *& seqq.*, *& in rec. decis.* 287. *n.* 7., *&* 8. *part.* 10., *dec.* 31. *n.* 30. *& seqq. coram Arguell.*

11. Ista sufficiunt ad effectum reijciendi contrariam Instantiam, & seruandi Breue Appellationis iam expeditum, & præsentatum Exequutori in partibus, absque necessitate discurrendi super iustitia, vel iniustitia manutentionis concessæ, aut denegatæ Aduersarijs, & nihilominùs omittenda non est demonstratio euidentis Iniustitiæ, qua laborat Iudicatum Nunciaturæ, & qua stante etiam in Iudicijs exequtiuis possessoris, & priuilegiatis semper datur appellatio *Posth. de manut. obseru.* 106. *num.* 83., *Thomat. decis.* 35. *num.* 2. *& decis.* 128. *num.* 46., *Rot. coram Bich. decis.* 39. *num.* 9., & generaliter *Card. de Luc. de Iudic. disc.* 37. *num.* 66, *Gratian. discept.* 924. *n.* 42., *Rot. cor. Cerr. decis.* 39. *num.* 12.

12. Patentissima autem Iniustitia contrarij Iudicati resultat ex notorio defectu possessionis, quam Aduersarij sibi habere figurant pro expediendis illis actibus, & negotijs extraiudicialibus, quę ab ipsomet Reuerendissimo Episcopo expediuntur, cum documenta in contrarium exhibenda solùm respiciant illos actus, seù negotia, quæ expedita fuerunt per Vicarium Generalem ex Commissione Episcopi; qui proptereà actus veluti differentes tamquam non ab ipso Episcopo, sed eius Vicario gesti inhabiles omnino sunt ad pro-

ban-

bandam possessionem pro alijs actibus, qui ab ipso Episcopo per seipsum expediuntur, & geruntur, cum possessio tamquam quid facti non sit interpretabilis, neque extendatur de vno casu ad alium, neque de vna specie actuum ad aliam speciem, vt firmant *Posth. de manut. obseru.73. num.167. Adden. ad Gregor. decis.557. num.12. in fin. Rot. coram Caualer. decis.487. num.4., & post Viuian. de Iurepatr. decis.88. num. 8.*. Manutenere enim est conseruare, neque potest conseruari illa possessio, quæ non habetur in illamet specie indiuidua, & qualificata, quę cadit sub quæstione, *Rot. decis.508. num.1., & 2. part.3. Posth. de manut. obseru.73. num.46., & in rec. decis.90. n.1., & seqq. part.19.*

13. Fortiùs autèm, & extrà principium dubitandi, quando versa vice probatur ipsum Episcopum reperiri in actuali possessione expediendi acta concursus, examinis, præelectionis, & Collationis Parochialium sub testimonio Secretarij Camerę tamquam eius Ministri, seù Cancellarij specialis, vt iustificatur ex longęua possessione actuum ab anno 1661. vsque in præsens *Summario n.3.*. In his enim terminis dari non potest iniustia euidentior contrariæ mantentionis, quoad illa negotia, quæ ab ipsomet Reuerendissimo Episcopo expediuntur, respectu quorum Aduersarij carent omni possessione, quæ tamquam existens apud Reuerendissimum Episcopum manifestè excludit illam ab Aduersarijs prætensam, cum inclusio possessionis vnius, sit exclusio possessionis alterius *Posth. de manut. obseru.62. num.3., & 4., Rot. coram Buratt. decis.292. n.5., & decis.330., num.1., & post. 2. volum. Consil. Farinac. decis.289. sub num.3.*

14. Quod locum obtinet etiamsi Aduersarij allegare possent, aliquod negotium huius naturæ fuisse aliquando per eorum acta expeditum; tùm quia id referri debet ad meram Episcopi facultatem, qui tamquam Superior potest vti Ministris sibi beneuisis quoad negotia per ipsum expedienda, cum nostra quæstio sit, an Episcopus teneatur, non autem an possit vti opera Aduersariorum, vt tradunt *Posth. de manuten. obseru.53. num.1., & seqq., Rot. post ipsum decis.541. num.9., & in Comen. Parochialis 26. Iunij 1724. §. Absque eo, quod coram Reuerendissimo Aldrouando*. Tùm etiam quia in hoc Iudicio possessorio attenditur vltima possessio, & competit manutentio illi tantùm, qui tempore motæ litis in possessione reperitur, non curata, si quæ adest, anteriori possessione *Post. de manut. obseru.71. num.51.* ibi = *nec suffragantur actus valde remoti &c. sed magis ad manutentionis effectum attendendi sunt actus proximiores tempore motæ litis* = *& in Cremonen. Feudi 4. Februarij 1692. §. final. coram bon. mem. Heruault., & in Nouarien. Interuentus in Pontificalibus super Manutentione 27. Iunij 1704. §. Prout nec releuat coram bon. mem. Omanna* ibi = *quia in Iudicio manutentionis non attenduntur actus anteriores prætensæ possessionis, sed is*

ab-

obtinet, qui magis proximus est tempori motæ litis, cum manutentio concedatur ad statum, in quo quis vltimo loco reperitur.

35. His stantibus, nihil obstant ad propositum huius Iudicij exceptiones concordiæ inter Aduersarios initæ de anno 1596. vna cum eius confirmatione Ordinaria, & Apostolica Auctoritate secuta, addita asserta re iudicata Curiæ Salamantinæ de anno 1685. nam hæc omnia respiciunt discussionem tituli, & examen petitorij, quod nihil commune habet cum Iudicio possessorio, in quo versamur, *Posth. de manut. obseru.42. num.5., & seqq. Rot. post ipsum decis.558. num.18., & in Burgen. Iurisdictionis, seù Visitationis super manutentione 19. Ianuarij 1714. §.Vindicata coram bon. me. Barbadico, & prima Aprilis 1715. §.final. coram Eminentissimo Scotto.*

36. Et tamen huiusmodi exceptiones loquendo ad exuberantiam nihil suffragantur: nam Concordia inter Notarios officit tantùm ipsos Transigentes circa ea negotia, quæ ipsis competebant, & consequenter respicit negocia iudicialia, & quæ expediuntur per Vicarium Generalem ex Commissione Episcopi, vel speciali, vel generali, non autem ea, quæ ab Episcopo per se ipsum expediuntur in Concernentibus Iurisdictionem voluntariam, vnde sine fundamento concordia ampliari prætenditur ad ea, quæ non compræhendit, & de quibus non loquitur, non obstante confirmatione Episcopi, qui mandauit concordiam obseruari; Nam confirmatio nunquam ampliat rem confirmatam, neque extenditur ad ea, quæ non compræhenduntur in re confirmata, iuxta notum principium, quod confirmatio = *Obligat magis, sed non obligat ad magis* = iuxta ea, quæ habentur apud *Text. in cap. Cum dilecta §.Non autem de confirm. vtil., vel inutil. Rot. coram Gregor. decis.164. num.10. & in recent. decis.158. num.29., & 30. part.6., & decis.161.n.10. part.15., & decis.252. num.13. part.16., & decis.377. num.18., & 25. part.18.*

37. Maximè quando receptum est in quacumque confirmatione Superioris, nunquam intelligi compræhensam eius personam, eiusque ius, cum Superior Statuto Inferiorum non ligetur, neque in generalitate confirmationis eius persona compræhendatur, ad *Text. in l. Penult. ff. de arbitr. Roland. à Vall. de lucr. dot. quæst.84. num.1., Felin. in cap.1. num.24. vers. Amplia de Constit.*, latè *Gonzal. ad regul.8. Cancell. §.2. probemial. num.38. cum plur. seqq. Rot. in Leodien., seù Aquisgranen. Canonicatus 7. Martij 1701. §.final. coram Eminentissimo Scotto, & 20. Ianuarij 1707. §.Verum coram clar. mem. Card. Priol.* Confirmatio autem Apostolica nil operatur præter ea, quæ reperiuntur compræhensa in actu confirmato, eoque magis, dum obtenta fuit in forma communi, & cum clausula dummodo concordata essent licita, & honesta, neque contraria Sacrorum Canonum dispositioni, vt firmat *Rot. decis.*

cis.313.num.11. part.19.recent., *& coram Coccin.decis.1552.n.30. & cor.Emer.Iun.decis.950.n.6.*

18. Et hoc ostendit subsequta obseruantia, dum non obstante concordia, habemus, negotia expedita ab ipso Episcopo processisse per manum, & acta Secretarij Cameræ, non autem Aduersariorum, qui certè per centenariam, & vltra non acquieuissent, si habuissent titulum cogendi Reuerendissimum Episcopum eorum Superiorem ad expedienda negotia, de quibus agitur per acta ipsorum ad *Text. in cap. si de Interpretatione ff.de leg. Rot. decis. 205. num.10. coram Priol., & decis.136. num.18. coram Otthobon., & decis.444.n.2., & seqq.cor.Pamphil.*

19. Supposita autem res iudicata Curiæ Salamantinæ de anno 1685. attendi non meretur, dum emanauit non contra Episcopum, sed contra Promotorem Fiscalem defendentem Iura Secretarij Cameræ, quæ propterea non afficit Episcopum, eiusque Dignitatem, cui ex facto Prædecessorum, eoque minùs Ministrorum suorum, non præiudicatur, *Rot. in Cauen. Molendinorum* 20. *Martij* 1711. §. *huiuscemodi, & seqq. coram Reuerendissimo Rauennaten.*, *& in Burgen. Iurisdictionis super actibus Parochialibus* 16. *Iunij* 1715. §.*Quo verò coram eodem*; Idque comprobauit obseruantia, dum non obstante hoc Iudicato anni 1685. Episcopus continuauit in sua possessione expediendi negotia, de quibus agitur per manus Secretarij Cameræ, vt ex serie Actorum *Summario num.3.*, quod probat, Sententiam contra Secretarium Cameræ non preiudicasse ipsi Episcopo non citato, nec audito, neque eius personam, seù Dignitatem affecisse, *Rot. in Nouarien. Interuentus in Pontificalibus* 27. *Iunij* 1724. §.*Et demum coram bon.mem. Omanna*, & probat factum Aduersariorum, qui passi fuerunt examinari causam in prima Instantia non excipiendo de re iudicata, *Rot. coram Bich. decis.466. num.4., & in addit. ad decis. 37. num.25. bon. mem. Ansaldi*.

20. Et sic huiuscemodi exceptiones, quæ de cætero respiciunt petitorium, non solùm sunt reijciendæ ab hoc Iudicio tamquam extraneæ, sed etiam insubsistentes, & quidem nulla ratione suaderi potest, quod Aduersarij, qui sunt Famuli, & Ministri Reuerendissimi Episcopi sese erigant in hanc pretensionem ipsum cogendi, & ligandi eius liberam iurisdictionem, quominùs vtatur Ministro sibi beneuiso, dum ita Subditus imperaret suo Domino, quod est absurdum.

21. Si obijciatur Reuerendissimo Episcopo recursus ad Regium Tribunal Vallisoletanum, est obiectum prorsùs incongruum, quia non probatur de eius mandato huiusmodi recursum habitum fuisse, & statim, ac ipsi innotuit talis recursus, illi renunciauit *Summario num.12.*, quo casu tribui non potest recursus eidem Reuerendissimo Episcopo *Rot. coram Bich.decis.282.num.17.*, benè verùm est, quod

quod Aduersarij fuerunt illi, qui talem recursum habuerunt, vt in *Summario num.*11., & propterea obijcere non valent Reuerendissimo Episcopo illud vitium, quod ipsi tantùm commiserunt iuxta *Text. in Can. nihil iniquias* 32. *quæst.*6. ibi = *in quo alterum iudicas, te ipsum condemnas; Eadem enim agis, quæ tu iudicas.* = & tradunt *Card. de Luc. de hæred. disc.*21. *num.*12., *&* *de fideic. disc.*199. *n.*4., *Rot. coram Coccin. decis.*1886. *num.*23. *in recent. decis.*532. *num.*19., *& seqq. part.*14., *& in Romana Immissionis* 27. *Iunij* 1712. §. *Non attento cor. Reuerendissimo Lancetta.*

Quare &c.

Franciscus Maria Pitonius Adu.

Caietanus Cotij.

CONGREGATIONE
Signaturæ Iustitiæ
R. P. D.
C A S O N O
Abulen. prætensæ Manutentionis

P R O
Illmo, & Rmo D. Don Iosepho del Yermo Santibanez Episcopo Abulen.
C O N T R A
DD. Notarios Curiæ Episcopalis Abulensis.

Restrictus Facti, & Iuris,

Typis Zinghi, & Monaldi 1724.